283 203

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-sextâ mensis Januarii, anno Domini M. DCC. XLIV.

M. GUILLELMO DE MAGNY, Doctore Medico, Præside.

An Sperma Ceti Narcoticis sociatum, remedium in Pleuritide præstantissimum?

I.


SAPIENS Medicus, qui sedulus Naturæ Minister, ita vestigiis insistit, ut in devios calles non deflectat, ita legibus ejus morem gerit ut opinionibus nec suis nec alienis sese addicat. Usquè memor Naturam morborum medicatricem esse, quò vergit, eò illicò se convertit, nec citeriùs timidè subsistit, nec ulteriùs temerè progreditur. Si quid graviùs illam opprimat, gnaviter onere levat; si quid lædat asperiùs, apposito levamine, solatur: ubíque fidelem navans operam, ut ea suum opus alacriter exequi pergat. In omnibus morbis, maximè in acutis id munus obire satagit. Inter acutos nullus frequentior aut ferè formidolosior quàm Pleuritis est. Sæpiùs longè latéque grassata symptomatum vehementia quæ malignitas dicitur, multóque magis intempestivâ curatione, funestas strages edit. Mirum est quàm varia à variis in eâ curandâ proponantur. Alii venæ sectionem ita adamant, ut vix quidquam aliud admittere velint; alii ita oderunt, ut omninò respuant; Alii vacuantia æquo maturiùs adhibent; alii ne suo quidèm tempore adhibere audent. Quidam in calefacientibus; quidam in refrigerantibus spem omnem reponunt: nonnulli quædam antipleuritica (ut vocant) omnibus obtrudunt. Quùm autem hæc omnia potiùs cujuslibet ingenio, quàm genio morbi, accommodata sunt, ferè semper Naturam, ab incœpto opere, avocant. At Medicus ille qui molimina hujus accuratè explorat, in coquendis digerendisque iis quæ mox excernet occupatam intuens, id agit ut coctionem digestionémque promoveat. Lentâ igitur festinatione, obvia removet impedimenta, adjumenta admovet; ea quæ solidorum contractiones spasmodicas ita relaxent, humorum coagulationes ita dissolvant, ut victrix Natura materiam hostilem subigat ac per patentes vias eliminet.

II.

PLEURITIDEM, inflammationem esse plevræ partiúmque vicinarum nemo inficiatur, huic igitur totam plevram, quâcumque se explicat totúmque mediastinum obnoxia esse patet; hinc partem anteriorem aut posteriorem, dextram aut sinistram, superiorem aut inferiorem æquè obsidere potest, sed in locis lateralibus sæpiùs suam tyrannidem exercet. Si membranam ipsam costas internè succingentem occupet, tunc vera Pleuritis; si intercostales musculos & partes exteriùs positas, spuria nuncupatur. Quotiès sputa prodeunt, humida; quando verò non apparent, sicca dicitur. Verùm cujuscumque sit indolis, quamlibet partem invadat à solidorum contractione spasmodicâ & humorum coagulatione immediatè pendet. Quotiès enim sanguis viscosus, densus per intercostales tubulos spasticè contractos adigitur, tùm ibi concrescit, magis fit obstructio, stagnantium fermentatio, inflammatio. Si symptomata indè nascentia perpendas, rem ita se habere facilè intelliges; quid enim febris acuta, dolor punctorius, tussis perpetua, respiratio difficilis, sputum cruentum, pulsus durus & serratilis significant? nisi hu-

mores esse coactos impactosque in vasis affectæ partis ita contractis crispatisque, ut thoracis totiúsque corporis functiones pervertantur. Procatarcticas causas contemplare; id luculenter patebit. Præcipuæ & frequentiores sunt crapula; liquorum ardentium abusus; aër frigidus in nudatum pectus quod priùs æstuabat; haustus gelidus subitò ingestus dum corpus sudore madet; aquilones gelidissimi hyberno tempore fluentes; quo pacto hæ causæ vim suam exerent? nempè constringendo & coagulando. Idem censeas de cruditatibus in primis viis, de menstruorum aut hemorroidorum materiâ in pectus abreptâ: idem de metastasi cujuslibet humoris, morbidi priùs alicubi stagnantis atque hùc casu depositi. Indè patet cur in siccis exercitatis, robustis, rusticis quorum sanguis compactus est & fibra rigida, Pleuritis frequentior sit & ferè lethalis; rarior verò & minùs funesta in iis quorum sanguis dilutus est & fibra mollior: cur cruor emissus, in superficie, pelliculam viscidam & albicantem constanter habeat atque in Pleuriticorum cadaveribus polyposæ concretiones reperiantur. Si quis igitur Medicus in promptu habeat quidpiam quod contractiones spasmodicas tollat & coagulationes dissolvat, is Pleuritidi felicissimè medebitur.

III.

SIMUL átque tam gravis morbus aliquem invasit, venæ sectionem Medici imperant, nec immeritò, utilissima quidèm est, vasa nimiâ mole turgentia exonerat, liquidisque viam faciliorem expedit: at subsidia majora & efficaciora adhuc requiruntur. Ex iis præstantissimum esse Sperma Ceti non inficiabitur quisquis ejus virtutes apprimè noverit. Substantia est pinguis & oleosa ad nos advecta sub formâ fragminum ceræ albæ, pellucida, tactu levissima, oriunda ex cerebro cujusdam Ceti. Hæc massa primùm pinguissima ac putridissima ad Portum Sancti Sebastiani transportata, ibi in aquâ maris frigidâ pluries lota, repetitis postea ebullitionibus tandem dealbatur: næ ille erraret qui fingeret animo Sperma Ceti esse iners effatum oblinendis partibus duntaxat idoneum. Si id attentiùs expenderit, principia summæ energiæ continere, intelliget; nec quidquam aliud forsitan tantam cum semine animantium similitudinem habere: quemadmodum hoc, licet spissum & glutinosum spiritibus turget qui materiam expendant, calefaciant & fœcundent; sic illud, licet primâ fronte crassius & viscosius, recondit in sinu suo particulas vividas, elasticas, volatiles quæ vi caloris intra corpus expansæ ut totidem cunei succis condensatis occurrendo, eorum interstitiis sese insinuant; minutissimas quasque moleculas à cohæsione mutuâ extricant, suo motu agitant, volvunt, propellunt: eâdem operâ sanguinem ac lympham fluidiorem efficiunt; tuncque hujus purissimæ & tenuissimæ partes in substantiam cerebri corticalem transmissæ, spiritus animales renovant atque excitant. Hi igitur uberiore copiâ quacúmque influentes sanguinis calorem atque impetum augent, præcipiti cursu, in minima vasa irruens quidquid ibi hæret, abstergit secumque abripit. Non eâdem facilitate alia (sic enim vocant) resolutiva eosdem effectus producunt. Habent quidem partes volatiles, sed salinas, graves, asperas succis nostris ægrè miscibiles quæ vel humores coagulatos incassùm arietant ac densant magis: vel, inæqualiter discerpendo, grumos avulsos hinc indè in tenuissimos corporis meatus protrudunt, ibique novas obstructiones pariunt. At Spermatis Ceti paticulæ levissimæ succis humanis congeneres accessum atque ingressum facilem habent in grumorum quorumque intima: iisque sic sese interponendo eos dividunt. Non igitur ineptè dixeris illud menstruum esse sanguini & lymphæ proprium, quòd utriusque globulos affinitate quâdam sibi jungit atque ab omnibus quæ illos irretiebant, expedit. Néque verò id temerè dictum existimo. Hoc confirmat optimorum Medicorum autoritas qui quotiès sanguis alicubi subsistit extravasatus & coagulatus ad eum resolvendum & discutiendum Sperma Ceti præscripsère: hinc præcipitatis ab alto ruptis, contusis, fractis, post venæ sectionem, tanto cum fructu, semper exhibitum fuit atque etiam nunc exhibetur; verùm in acutis non satis est succos condensatos in motum ciere: fibras spasmodicè contractas quæ nihilominùs illos compingerent, nec elabi sinerent, laxare omninò necesse est. Tum Sperma Ceti Narcotico alicui socia, stupebis quàm facile munus utrumque exequatur.

Quot & quoties infarctus, ſtaſes inflammatorias, abſceſſus jamjam imminentes in cerebro, hepate, utero: quot etiam gangrenas, variis in locis, tali ope, deſiiſſe vidimus? Quia nempè ſubitò laxando vaſcula ſpaſticè contracta, in his contenta liquando, partibus affectis functionum integritatem reſtituit. Si verò tantam in diſſitis locis relaxandi & liquefaciendi vim exerceat, in propioribus quales ſunt partes pectoris, multò majorem exercet. Hinc in tuſſi, hæmoptyſi, phthiſi, aſthmate ac peripneumoniâ utrumque peragendo ita juvat, ut nihil efficacius ac præſentius inveniri poſſe videtur; quidni igitur idem in Pleuritide præſtaret? Præſtat quidem ſemper & efficaciſſimè, modò eo ordine ac tempore præſcribatur, ut nihil illud impediat aut inficiat.

I V.

QUO certiùs Sperma Ceti vim ſuam exerat, hoc in oleoſo menſtruo v. g. in oleo amygdalarum dulcium aut alio quovis diſſolvendum eſt; huic ſolutioni ſi diacodii congruam doſim & bechici alicujus liquoris addideris, certiſſimam in Pleuritide inveneris medelam. * At cave talem mixturam partitis vicibus ſeu cochleatim ut aiunt inter juſcula aliaſque ſorbitiones, exhibeas. Sic enim, pleno fermenteſcibilibus ſuccis ventriculo, immerſa moratur; corrumpitur; flatus, nauſeas ſpaſmos præcordiorum creat. Ut hæc incommoda vites, quæ ſunt medenti non medicamento tribuenda, optatóſque illius effectus conſequaris, paucis accipe. Sub veſperam (tempus enim opportunius) ſanguis è brachio mittatur, impera; mox, juſculi loco quod poſt venæ ſectionem exhiberi ſolet, mixtura calida ægro propinetur, modo nihil à quinque horis deglutiverit; poſt quinque horas eodem modo detur altera, ita ut niſi poſt quinque horas, etiam urgente ſiti, ſorbeat. Sic vacuo ſtomacho & dudum aliquid appetente illabens avidè accipitur; ſine impedimento, ſine tumultu digeritur; lente ſed facile, ſine miſcelâ alienâ per vias lacteas pertranſit; inde in maſſam ſanguinis recepta particulas volatiles jam in motum actas exſolutaſque diffundit quæ in pulmonibus & vicinis membranis, quoſcumque humores lenteſcentes & coagulatos undequaque penetrant ac permeant: ſpiritus inibi ferè oppreſſos ſuſcitando, iiſque, ſua homogeneitate, ſe jungendo geminatis viribus penitius evolvunt atque attenuant. Illius, eodem tempore, ramoſæ & mulcentes partes ſales evectos obtundendo, ſulphura acriora irretiendo, membranas criſpatas, vaſa rigida & tenſa contactu molli ſic leniunt & laxant ut flexibilitatem atque elaterem recuperent, liberè oſcillent, humorum moleculas jam meabiles terant & comminuant. Itaque in maſſam per canaliculos apertos, hi ſenſim & innoxiè remeant, atque ad ſua ſinguli ſecretoria deducuntur. Dubitas ea tam facilè contingere poſſe? Poſtridie inviſas ægrum, omnium ſymptomatum ceſſatio dubitationem tuam eximet. Miraberis dolorem loci affecti ſedatum, placatam tuſſim, ſputa prodire copioſa, juvantia reſpirationem, faciliorem reddentia, urinam profluere cum laudabili ſedimento; madorem toto corpore æqualem perfundi; denique necdum elapſis ſexdecim horis, materias ſpiſſas, glutinoſas, bilioſas quales conferunt magnâ copiâ per alvum ejici. Qui, amabo, tot urgentia ſymptomata ceſſarent? Qui priùs ſtricta excretoria reſerarentur niſi ſublatæ fuiſſent ſolidorum ſpaſmodicæ contractiones? Qui fierent undique excretiones, quales à nullâ aliâ methodo expectandæ, coctionis indicia habentes, febrem aliáque ſi ſuperſint ſymptomata fugantes, niſi humórum coagulationes fuiſſent diſſolutæ? At, inquies, redeunt ſymptomata. Quid mirum! Noſtíne ſpecificum ullum inter optima, quod ſumptum ſemel totum morbum ſanaverit? Redeunt, eſto: ſed pauciora; ſed mitiora; ſed, ſi eadem eodem ordine repetas facile compeſcenda. Tam egregio in opere ſymbolum conferunt, ex emollientibus enemata à primo morbi inſultu, quotidiè ſæpiùs injecta. Hæc irrigando lubricata jam oleoſo anodynis inteſtina, à tenſionibus & ſtricturis vindicant, in eorum vaſis ſanguinem ebullientem reſtingunt; bilem acerrimam eluunt, temperant, hancque vitioſorum humorum, huc è

* Hac ratione mixturam hanc familiare eſt nobis uſurpare.

℞. Aq. card. benedict. bugloſ. borrag. ana ℥ j. ß, ſpermat. Ceti ʒ j olei amygdalarum dulc. ℥ ij. Syrupi diacod. ℥ ß, aq. naph. ʒ ij. Divide in duas doſes æquales calefiant ſingulæ balneo maris ferventiſſimo ac probe concutiantur in ipsâ phialâ, priuſquam propinentur.

ſanguine facilius appellentium expurgant illuviem : ſic nec horum in viſcera decubitum, nec diuturniorem in ſanguine aut primis viis moram, nec hypochondriorum phlogoſim & metheoriſmum pertimeſces. Sic vacuantibus, quæ prius obfuiſſent, utiliſſimè auferes morbi reliquias : concocta enim, non cruda, medicaberis. Ergo graviſſimus morbus, medelæ tam facili ac parabili cedet ? Ita profectò. Vidimus ſemper cedere, vidêre quóque ſæpiùs doctiſſimi viri, nec minùs facilè quam acutos morbos ſpaſmodicos, vulgaribus oleoſo anodynis cedere omnes norunt. Si hæc, vulgari licet methodo & ſine noſtris cautelis, exhibita in pleriſque quales ſunt nephritici, hepatici, colici ita juvare naturam videas ut brevi ſeſe expediat : nonne eamdem opem afferet mixtura propoſita ob præparationes & cautiones prædictas illis efficacior ? Id ſuadet ratio atque experientia diuturna confirmat.

V.

FELIX æger qui à morbo adeò periculoſo ſic liberatur ut nec ejus pericula nec variorum medicamentorum incommoda & faſtidia ſenſerit : tunc quippe nec ſanguine nec lymphâ exhauſtum brevi confirmatum recreatúmque videre eſt· Verùm ſecùs ſe res habet ſi ea fuerint exhibita quæ, naturæ vim inferendo, motus ejus perturbant, eámque non ſponte ſuâ ſed artificio alieno, agere cogunt. Nempè talia ſunt decocta quædam amaris, exficcantibus ſuccis turgida, pulveres viperini, ſanguis hirci, variorum animalium ſtercora, ſulphurea, antimoniata, aliaque ejuſmodi quæ antipleuritica celebrantur. Ingeruntur quidem iſta ut materiam coagulatam validiùs diſcutiant ac propellant. At quàm bellè reſpondeant medentium votis, viderint ii ipſi qui ea præſcribunt. Nonne partibus ſuis ſalinis, acribus, ſulphureis ac ſtimulantibus membranas pungunt & vellicant, ſpaſmoſque ac contractiones augent ac proindè vel materiam magis impingunt in vaſorum anguſtias, vel ſi ex loco ſuo exturbant, præcluſo omni exitu, in pulmones, in cerebrum aut hepar compellunt. Nonne ut plurimùm febrem accendant ? Symptomata omnia exacerbant ? Serum & lympham quæ coctionis materia fuiſſet, diſſipant ? Viſcoſitatem inflammatoriam immeabilem atque irreſolubilem efficiunt ? Sanguinem reſolvunt in ſales oleaque volatiliora & acriora ; unde ſtaſes, rupturæ vaſorum, putredines, gangrenæ aliaque innumera quæ concipere quàm dicere, facilius eſt. Quò tùm ſe convertet, quò verget natura ? Qui, ſubacta ipſa materiam ita reluctantem ſubiget ? Tanto in conflictu vel præcipiti fato ſuccumbit vel tabeſcit aliis inde malis conflictata. Non inficiandum eſt tamèn quibuſdam ex illis pleuritidem aliquandò ſanari. At quot inter perricula ? Quot cautelæ ut eorum vis infringatur ? Quanta ſagacitas in pravis eorum effectibus corrigendis requiritur ? Hinc, ad venæ ſectiones, ad alia atque alia confugiunt vel peritiſſimi Medici, in horas mutanda, quibus jam non morbo ſed medicamento medeantur. Verùm ſperma ceti in oleo amygdalarum dulcium expanſum narcoticóque junctum, tutiùs, citiùs, jucandiuſque quam illa omnia rem gerit. Quidquid in pleura viciniſque locis ſpaſmodicè contractum, quidquid concretum eſt, quidquid ab utraque cauſa pendet, ſic placidè laxat, ſedat, ſolvit, ſic quidquid naturæ obſtat, removet, ut eâ infeſtam materiam coquente foraſque amandante, reſolutio morbique ſanatio conſequatur.

Ergò Sperma Ceti Narcoticis ſociatum, remedium in Pleuritide præſtantiſſimum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Theodorus Baron.
M. Andræas Cantwel, Regiæ ſocietatis Londinenſis ſocius.
M. Benjamin-Ludovicus de Lauyembert.
M. Leander Peaget.
M. Ludovicus-Alexander Vieillard, Pharmaciæ profeſſor deſignatus.
M. Ludovicus-Guillelmus le Monnier, è Regiâ ſcientiarum Academiâ.
M. Joannes-Baptiſta-Thomas Martinenq.
M. Franciſcus Pouſſe.
M. Thomas-Bernardus Bertrand.

Proponebat Pariſiis LUDOVICUS-RENATUS MARTEAU, Pariſinus, Doctor Medicus Cadomenſis, Sorbonæ necnon Saluberrimæ Facultatis Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1744, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.